



## The Holy See

---

**PAULUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA OCEANIAE MERIDIONALIS** \* IN INSULIS OCEANIAE MERIDIONALIS SACRA HIERARCHIA CONSTITUITUR. Prophetarum voces, qui pronuntiaverunt fore ut regnum Dei, quod est Ecclesia, tam late fines proferret, ut mundum universum impleret (cfr. *Dan.*, 2, 44), iam omnino evenisse sive id ostendit, quod vera Dei religio Christique nomen apud omnes fere populos et gentes summam habeant venerationem, sive quod cotidie, in fermenti similitudinem, quod populorum massam insita virtute pervadit, felicissime progressus faciunt. Quod cum laeto exitu etiam in Insulis Oceaniae Meridionalis factum esset, tum nempe adorando Spiritu urgente populos, tum Missionariis laborem ac studium impendentibus, visum est rem fieri maxime cum Ecclesiae bono congruentem, si ibi loci episcopalis Hierarchia constitueretur. Qua re, ante explorato quid de hoc negotio iudicarent venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositi, quaeve sententia esset venerabilis Fratris Dominici Enrici, Archiepiscopi titulo Ancusensis inque Australia, Nova Zelandia et Oceania Apostolici Delegati, auctoritate Nostra haec statuimus. In Insulis Oceaniae Meridionalis ita *sacram Hierarchiam* condimus, ut tres provinciae exstent ecclesiasticae atque duae dioeceses, ut statim describuntur. Prima provincia ecclesiastica erit *Numeana*, quae constabit: metropolitana Ecclesia Numeana (antea Vicariatu Apostolico Novae Caledoniae), cuius cathedrale templum erit S. Iosepho, Sponso Beatae Mariae Virginis, dicatum; item suffraganeis dioecesibus Portus Vilensis (antea Vicariatu Apostolico Insularum Novarum Ebridarum), cuius cathedrale templum erit sacratissimo Cordi Iesu dicatum; Uallisiensi et Futunensi (antea Vicariatu Apostolico Insularum Vallis et Futuna), cuius cathedrale templum erit quod in Insula vulgo Wallis Dominae Nostrae Reginae Pacis dicatum est; quod autem in Insula vulgo Futuna S. Iosepho, Sponso B. M. V., consecratum est, id concathedrale erit. Altera provincia ecclesiastica Suvana erit, constabitque eadem metropolitana Ecclesia *Suvana* (antea Vicariatu Apostolico Insularum Fidgis), cuius cathedrale templum sacratissimo Cordi Iesu dicatum erit; simulque suffraganeis dioecesibus: Apiana, quae fuit antea Vicariatus Apostolicus Insularum Samoa et Tokelau, cuiusque templum cathedrale sacrum erit Beatae Mariae Virgini nulla labe conceptae; Tarauana, quae fuit hactenus Vicariatus Apostolicus Insularum Gilbertinarum, cuiusque cathedrale templum erit sacratissimo Cordi Iesu consecratum. Tertia provincia ecclesiastica *Papeetensis* cognominabitur, atque coalescet sequentibus Ecclesiis: metropolitana ipsa Papeetensi, antehac Vicariatu Apostolico Insularum Tahiti, cuius sacra cathedralis aedes Beatae Mariae Virgini Immaculatae dicabitur,

atque dioecesi Taiohaëna, adhuc Vicariatu Apostolico Insularum Marchesi, cuius templum cathedrale ad praesens beato Iosepho, Sponso B. M. V. dicabitur, in posterum, cum scilicet aptius erit, Dominae Nostrae Custodi, seu ut dicunt, de Guardia. Praeterea has duas dioeceses condimus: Rarotonganam, ex eo qui fuit Vicariatus Apostolicus Insularum de Cook; erit autem suffraganea metropolitanae Sedi Vellingtongensi et templum cathedrale habebit S. Iosepho, Sponso B. M. V. consecratum; atque Tonganam, quae fuit hactenus Apostolicus Vicariatus Insularum Tonga et Niue. Huius cathedrale templum erit Immaculatae Conceptioni B. M. V. sacrum, atque dioecesis recto Sanctae Sedi subicietur. Censemus insuper ut circumscriptiones hae omnes Sacrae Congregationis Propagandae Fidei iuris dictioni obnoxiae maneant, atque earum Praesules, seu qui adhuc Vicariatibus Apostolicis praefuerunt, conditis dioecesibus praeponantur, titularibus Sedibus liberati. Ac proinde, ut venerabilis Frater Petrus Martin ab Ecclesia titulo Selinusiensi ad cathedralem Sedem metropolitanam Numeanam transferatur; venerabilis Frater Ludovicus Julliard ab Ecclesia titulo Vulturiensi, ad Portus Vilensis; ven. Frater Michaël Darmancier ab Ecclesia Auguritensi, ad Uallisiensem et Futunensem. In provincia ecclesiastica Suvana, ut venerabilis Frater Victor Foley ab Ecclesia titulo Petinessensi transferatur ad Sedem metropolitanam Suvanam; venerabilis Frater Georgius Pearce ab Ecclesia titulo Attalensi in Pamphylia, ad Apianam; venerabilis Frater Petrus Guichet ab Ecclesia titulo Stectorena, ad Taruanam. In provincia denique Papeetensi, ut venerabilis Frater Paulus Mazé ab Ecclesia titulo Ascalonitana, ad metropolitanam Sedem Papeetensem transferatur; venerabilis Frater Ludovicus Tirilly ab Ecclesia titulo Buthrotia, ad Taiohaënam. Praeterea, venerabilem Fratrem Henricum de Cocq a Sede titulo Aquensi in Byzacena ad cathedralem Ecclesiam Rarotonganam transferimus; venerabilem vero Fratrem Ioannem Rodgers a Sede titulo Sbidensi ad cathedralem Ecclesiam Tonganam. Sed haec hactenus. Antequam autem his Litteris Nostris finem imponamus, monemus esse quidem omnes sacros Antistites, qui ad cathedrales Sedes translati sunt, ab iteranda fidei professione exemptos; teneri vero singulos ad ius iurandum fidelitatis erga Nos dandum teste aliquo Episcopo qui sit Nobiscum sincera caritate coniunctus. Statuimus etiam ut hae Litterae Nostrae singulorum Praesulum cura in cathedralibus templis perlegantur, tum clero tum populo, diem festum de praecepto celebrantibus, post eas acceptas. Ceterum has Litteras Nostras ad exitum deducet venerabilis Frater Dominicus Enrici, quem memoravimus, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.*

*S. R. E. Cancellarius*

*S. Congr. de Prop. Fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Franciscus H. Ferretti, *Protonot. Apost. Decanus*

Ioannes Calleri, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 201-203 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana